



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

13. Leopoldus Primus eligitur. Applausus Monasteriensium. Et Christophori
Bernardi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

realiter impetrant, recipiunt, utuntur, in iis constantes manent, nec illicitis hujusmodi attentatus post admonitionem renunciant, juxta legum Imperij rigorem animadvertemus, curabimusque, ut si necessitas ita exigat, ipsa facta & invasiones congruis pariter mediis avertantur.

Vix poterat quidquam expressius inferi, quo Monasterienses ceu subditi, à suo ad Concederatos Ordines Belgij refugio fortius retraherentur. Id tamen Cives non fugiebat, hinc tamen potentiam Batavorum, illinc clementiam domus Austriacæ in spem melioris erigebantur. Ut primum enim nuncius attulit Leopoldum Austriam, Hungariæ, Bohemiæque Regem, concordia Electorum omnium suffragio, decimo quinto Kal. sextiles Francofurti lectum esse ac renunciatum, isto nomine Primum, Romanorum Imperatorem (nam incredibili celeritate Germaniam universam fama pervolavit) cives haud præstolati Principis jussa, aut communem Provinciæ totius plausum, vigesimam secundam Julij sub vesperam, referatis privatam auctoritate templorum foribus, ipsi campanas pulsant, & honorario spectabiles armatu, unam cum prædiario milite, per valla, per compita, tormentis, bombardis, festivis ignibus lætitiæ signa dant:

13.
Leopoldus electus legitur.

Applausus Monasteriensem.

Dd

sed

1658.

410 CHRISTOPH. BERNARD.

sed incunte jam nocte, ubi civis & miles ab armis cessabat, in turrim Divi *Lamberti* ac propylæum vinarix domus, *Tubicines* & *phonsorum* grex bipartitum ascendunt; & hymnum alternantes *Ambrosianum*, festivâ Neo-Cæsari symmetriâ applausere. Pluris volebant æstimari speratam hoc oblectamento Cæsaris gratiam, quam posthabiti Principis sui offensam.

Et Christophori Bernardi.

At verò *Christophorus Bernardus*, ut pro felici Regis electione, statim ab excessu *Ferdinandi Tertij*, sollicitudine consuetâ, toti *Dicecesi* preces, ita nunc solennem gratiarum actionem sine morâ imperavit; quam & ipse singulari pompâ festivam habuit, supra omnes latus, quod filium, quod nepotem Cæsarum, ex *Austriacâ* domo, in solio Imperiali videret successorem, cui perennem in terris vitam, Imperium felix, fortunatumque, victoriam de hostibus, imò fausta omnia à superis precabatur; nec omisit plura statim lætitiæ ac devotionis argumenta testari, quando Cæsaream *Leopoldo* majestatem fuit gratulatus.

14.
Fœdus
Rhenanum extenditur.

Per quos dies hæc in *Provincia* *Monasteriensi* agebantur, *Leopoldus Primus* jam Imperator *Frankfurtum* reliquit. Ubi inter *Electores* ac *Principes*, cum *Christophoro Bernardo* jam antè sociatos, quarto